

parationem naturæ create, prout magis vel minus eam excedit. Triplex autem potest aliquid excedere facultatem naturæ. Primum secundum substantiam facti; ut quoddam corpora sint simul; quod homo habeat corpus gloriosum, prout accidit post Christi resurrectionem; vel quod sol stet, aut retrocedat, prout contigit ad preces Josue, & Ezechie Regis. Et ita tenent summum gradum in Miraculis, cum ea nullo modo possit facere natura.

39 Secundum potest aliquid excedere vires naturæ quoad substantiam eius, in quo fit, id est, quando aliquid fit, quod natura ipsa quoque facere potest, sed non in illo, sive in tali subiecto, in quo fit: sicuti est resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & huiusmodi: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; & potest præstare visum, sed non in cæco. Et hæc tenent secundum gradum in Miraculis. Tertium excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, ac ordinem faciendi, id est, quando tale quid fit, quod natura ipsa facere potest, sed non in illo ordine aut modo. Sicuti est, cum quis subitò, ac instantaneè Divinâ virtute liberatur à febre nullis adhibitis medicamentis, prout contigit Socru Simonis Petri. Luc. 4. Aut cum acèr itatim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, sicuti factum legitur ad preces Samuelis & Eliæ Prophetæ. Aut si insolito modo panis multiplicetur &c. nam hæc omnia possunt à natura fieri, sed non tali modo, ac in tali ordine. Et huiusmodi tenent infimum locum in Miraculis; habent tamen diversos gradus inter se, secundum quos diversimodè excedunt facultatem naturæ.

40 Queritur V. An verum Miraculum fieri debeat in instanti? Resp. Negative, ita contra Dianam p. 2. nr. 17. Resp. 48. Zerolam v. Miraculum, Riccium, Piafecium, & D. Thomam sentiunt Cajetanum, Valquez, & alii à Diana citati. Ratio est; quia nil refert ad Miraculum sive in instanti, sive successivè fiat, dummodò tale fit, quod non nisi à Deo fieri possit, & præter consuetum causandi modum, ob bonum finem, testimonium nempe Fidei, vel meritum factum sit. Confirmatur Exemplis miraculosè factis ex S. Scriptura: sic enim Ezechias Rex à sua infirmitate miraculosè curatus est non in instanti sed successivè Isate 38. Pariter & Cæcus Marci 8. non in instanti, sed successivè; & tamen miraculosè visum obtinuit.

41 Illud tamen verum est, Miracula instantanea verissima esse Miracula, à fraude & deceptione demonis magis aliena, quam successiva: Diabolus enim multa potest successivè applicando activa passiva, quæ tamen non potest in instanti. Pariter multa potest facere natura successivè, quæ nullo modo præstare potest in instanti. Hinc si quis in instanti liberatur à gravi infirmitate, habetur pro Miraculo, non verò, si successivè; quia hoc non item illo modo potest infirmitas à demone curari. Imò etiam si quis à similibus infirmitatibus, aut aliis tribulationibus per meritum, & intercessionem Sanctorum successivè liberetur, Miracula non vocantur, sed gratiæ & beneficia, quorum plurima quotidie per Sanctorum patrocinia, homines obtinent, quæ in hoc differunt à veris Miraculis, quod licet forsitan fiant ad intercessionem Sanctorum, id certum non fit, hoc ipso, quod absolute loquendo, vel à demone, vel à natura, vel ab hominibus fieri possint. Quapropter rara sunt Miracula stricte dicta, quæ non sunt in instanti. Cætera plerumque non tam Miracula, quam mira, seu miranda beneficia, item & gratiæ vocanda sunt.

42 Queritur VI. Cui competat potestas examinandi, & recognoscendi Miracula? Et quomodo recognosci debeant? Resp. Hanc potestatem non tantum Summo Pontifici, sed etiam Episcopis competere. Ita

clare delimitur ex Concilio Tridentino Sess. 25. de Invocatione Sanctorum, ubi dicitur: Nulla etiam admittenda esse Miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscens, & approbante Episcopo, qui textus non tantum procedit de Miraculis jam Canonizatorum, sed etiam non Canonizatorum; ita ut Episcopus etiam horum Miracula recognoscere possit, prout Sacra Concilii Congregatio declaravit, teste Barbosa de Offi. & potest. Episc. Allegat. 97. n. 3. Fagnanus in c. Cum ex eo. h. 1. n. 7. Addit tamen ibidem Barbosa, hanc potestatem alii Episcopo inferioribus non competere; et si jurisdictione quasi Episcopali fulgeant.

Resp. II. Examen, & Inquisitionem Miraculorum debere esse exactissimum, ac rigidissimum, præteritum quoad Testes, ita ut regulariter non nisi per Testes idoneos juratos, qui non sint singulares, & qui deponant ex scientia per sensus proprios & singillatim examinentur, Miraculum probari valeat; prout pluribus demonstrant Auctores arg. c. Venerabili de Testib. & can. Testes. cau. 3 q. 9. Item, quod sint plures testes, cum unus testis sit nullus testis: nisi forsitan Miraculum esset tale, quod ex natura sua non nisi per unam personam probari possit: uti fit in revelationibus, & apparitionibus; item in Miraculis factis in propria persona deponentis, quod aliter probari nequit; vel quando cum dicto unius testis concurrat publica fama, vel alia adimicula. Barbosa lo. cit. n. 3. ubi addit, sufficere etiam testes domesticos. Insuper docet ibidem, quod Episcopus ad examen Miraculorum adhibere in consilium debeat etiam Theologos, & alios viros probos, id quod expressè præscribitur in Concilio Tridentino lo. cit. ibi: Adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris. Porro, si examinatur Miracula nondum Canonizatorum, aut Beneficiorum, debet, antequam ea divulget, aut divulgari permittat, totum negotium ad S. Sedem transmitti, indeque responsum expectare, juxta Constitutionem Urbani VIII. Sanctissimus. 39. in Bullario Cherubini.

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

Materiam hujus Tituli, quia exactè, & ex professo tractant theologi, hinc more aliorum Canonistarum, eam iisdem relinquimus, & breviter tantum adducimus, quod in omnibus tribus hujus Tituli capitulis continetur. In c. 1. h. t. consultus Pontifex respondet, quod, si Festum Nativitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariæ, vel Festivitas aliquis Apostoli occurrat Feriâ 2dâ, tunc Vigilia debeat celebrari, ac jejunari Sabbato præcedente.

C. 2. eod. Decernit Pontifex, quod Omnium Apostolorum Vigilia sint observatione jejuniis celebrande, præter Vigiliis Apostolorum Philippi & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ; quoniam ipsorum Solemnitas intra Solemnitatem Paschalem, ipsius autem intra Nativitatem Domini celebratur. Ibidem probat, necessitatem, ac infirmitatem à Jejunio excurrere.

C. 3. eod. Statuit Honorius III. quod si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multò magis, si in diem Sabbathi arg. c. 3. h. t.) ob Festi excellentiam cuius Christiano liceat vesci carnibus, qui non ex voto, aut Regulari observantia ad Jejunium, vel abstinentiam à carnibus est adstrictus: ob quam exceptionem Doctores communiter docent, quod, cum Fratres Minores ex voto, ac Regule præcepto sub mortali obligentur, singulis Feriis sextis jejunare; præfate privile-

S. I.

De Edificatione Ecclesiarum, & requisitis ad eam: Item de Reparatione earumdem: ac de iis, qui reparare tenentur.

SUMMARIUM.

- 2 Ecclesia in sensu morali & materiali quid?
- 3 Ecclesia materialis alia Basilica, alia Cathedralis, alia Collegiata, alia Matrix, alia Baptismalis, alia Parochialis, alia Regularis, alia Secularis: & quid queris?
- 4 Ad edificandam Ecclesiam requiritur Episcopi consensus.
- 5 Non item ad Oratorium privatum.
- 6 Antè Edificationem Ecclesie debet Episcopus per se, vel per alium Crucem figere, & primum lapidem ponere.
- 7 Ad Edificationem requiritur expressus Episcopi consensus. Et n. seq.
- 8 Et competens dos, exceptis Ecclesiis Mendicantium. Et n. 10.
- 9 Et quid, si absque dote edificetur?
- 11 Ecclesia in præjudicium alterius, præsertim Parochialis Ecclesie ad seavi nequit: & idè Parochi citari, & audiri debent.
- 12 Limitatur in erectione nove Parochie.
- 13 Ad erigendam novam Parochiam requiritur I. justa causa. Et que talis? & n. seq.
- 15 II. Citatio antiqui Parochi.
- 16 III. Competens dos Parochi novi.
- 17 IV. Ut antiquo Parocho maneat Juspatronatus ad novam.
- 18 V. Ut eidem à novo Parocho debitus exhibetur honor: & quis?
- 19 VI. Ut fiat cum consensu Capituli. Et n. seq.
- 21 VII. Ut Episcopus per se, vel per alium specialis mandato erigat.
- 22 Reparare Ecclesiam quinam, & quomodo teneantur? usque ad num. 26.
- 26 Qui reparare tenentur Ecclesiam, etiam ad reparandam domum Parochialem, & Ecclesie paramenti, tenentur.
- 27 Observatio practica.
- 28 Specialia de reparatione Ecclesie Cathedralis.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post partum.

Levitici 12. In veteri Testamento, Jure positivo non statim ingrederentur Ecclesias, sed tanquam immundæ ab earum ingressu per quadraginta dies, si masculum, per octoginta verò, si feminam peperant, abstinerent. Verum quia hæc Lex erat una inter cæremoniales, quæ omnes fuisse ablata per Legem gratiæ, declarat Pontifex c. un. h. t. mulieres ad hanc Legem non amplius obligari, sed posse statim post partum, si velint, & vires permittant, ad agendas Deo gratias, Templum ingredi. Addit tamen ad finem, quod, si velint ex devotione ab ingressu Ecclesie aliquandiu abstinere, id eis non sit in probandum, nec denegandum. Hinc consuetudo hodierna ferè ubique vigens habet, quod mulieres post partum per alios septimanas ex decentia laudabili, ab ingressu Ecclesie abstineant, & ante ingressum certam benedictionem à Parocho loci recipient, dantes eidem reciprochè aliquod honorarium. Et quamvis nullum existat in Jure præceptum, petendi hanc benedictionem ante ingressum Ecclesie, & dandi aliquid pro eo sed stando Juris dispositioni, utrumque liberum sit Mulieribus, tamen consuetudine introducti potest, pluresque in locis introducta habetur obligatio dictam benedictionem ante ingressum ad Ecclesiam, petendi, & aliquid pro ea Parocho præbendi; prout in similib. de Oblationibus diximus supra Tit. de Decimis. non. 184. & seq. Illud hæc observandum, quod facultas benediciendi post partum mulieres, & aliquid ab eis recipiendi numeretur inter jura Parochialia, proinde Regularibus nullatenus competat, prout declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpret. 1662. 18. Novembris.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis edificandis, vel reparandis.

I Ratio continuationis.

Actum est in præcedentibus Titulis de Consecratione Ecclesie, de Celebratione Missæ, de Sacramentorum Administratione, de Divinis Officiis &c. ad quæ quia ordinariè necessaria sunt Ecclesie, recto ordine de earum Constructione, & Reparatione nunc agitur: Et quoniam nomine Ecclesiarum etiam Monasteria in aliquo sensu veniunt, juxta dicta supra Tit. XII. de Celebratione Missæ. n. 19. de eorundem quoque Edificatione hæc agemus.

Notandum prius, non esse hæc sermonem de Ecclesiis in sensu morali, prout nempe significant Cætum, Conventum, Collectionem, aut Congregationem hominum, quo sensu Ecclesiam sæpè accipit S. Scriptura, ut Psal. 25. Odivi Ecclesiam malignantium: & Matth. 5. Convenit Ecclesia magna, & alibi passim: quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in terra Capite, Papæ nempe, existentes vocatur Ecclesia Catholica, juxta can. Ecclesia, de Consecrat. dist. 1. ibi: Ecclesia, id est Catholicorum Collectio; sed esse sermonem de Ecclesia materiali; id est, de Templo aliquo manu factò, seu re de publicâ cultui Divino deputatâ, in quo Fideles ad honorandum & invocandum Deum, divina admistranda, & percipienda Sacramenta, Missæque Sacrificium offerendum &c. conveniunt.

In sensu hoc materiali, Ecclesia accepta varias habet Classes & nomina. Aliquæ enim dicuntur Basilicæ, alie Cathedralis, alie Collegiatae, alie Baptismales, alie Parochiales, alie Matrices, alie Finales, alie Regulares, alie Sæculares. Basilicæ olim dicebantur Ecclesie nondum consecratae, ut notat Abbas in Rubr. de Consecrat. Eccles. n. 2. post Glossam in c. 1. de Religios. Domib.

Domib. hodie verò solam majores, principales, ac digniores Ecclesie, Basilicæ vocantur; quia Basilica nomen Græcum, domum Regiam significat, ad quam nempe tanquam principalem, servitii Divini causâ, Reges ac Principes convenire solent, ut notat post Barbofam lib. 2. I. E. V. cap. 1. n. 10. Engel h. t. n. 2. & alii. Cathedralæ dicuntur, quæ sunt Sedes Episcoporum. Collegiales verò, quæ habent Communitatem Clericalem in Capite & Membris Clericis, seu Canonicis, qui capitulariter congregari & agere, sigillumque, & arcam communem habere possunt, Barbofa lib. 2. Jur. Eccles. univ. cap. 6. n. 6. Matrices Ecclesie, licet propriè loquendo sint solæ Ecclesie Cathedralæ, arg. c. Venerabilis. 22. de V. s. ibi: Per Matricem Ecclesiam Cathedralè intelligi volumus. Tamen minus propriè etiam inferiores Ecclesie Matrices vocantur, illæ nempe, quæ alias aliquo modo sibi subjeetas habent: talis etiam est illa Parochia, quæ dividitur, respectu cuius eæ quæ per divisionem de novo fiunt, vel alteri subijciuntur, Filiales dicuntur, arg. c. Ad audientiam, 3. h. t. Basilicæ est, quæ habet fontem Baptismalem. Parochialis verò, quam supra Tit. XXXIX. de Parochiis descripsimus. Porro, etsi strictè loquendo Ecclesia Baptismalis & Parochialis differant, tamen sæpè etiam in Jure & in factò confunduntur, eò quòd hodie plerumque Parochialis etiam Baptismalis sit, & e contra. Ecclesia Regularis est, quæ pro habitatione Divinæ Officii Religiosorum principaliter erecta est. Secularis, quæ pro secularibus, & sub eisdem præcipue existunt.

4 Queritur I. Quid requiratur ad edificandam Ecclesiam? Resp. Quatuor necessariò requiri conditiones. Prima est, consensus Episcopi, Barbofa de Offic. & potest. Episc. Alleg. 26. n. 1. Zerola in praxi Episc. p. 1. §. Ecclesia, dicto 2. Engel h. t. n. 4. Pirhing eod. n. 2. Valens eod. num. 3. cum communi, & certa aliorum, arg. c. Nemo Ecclesiam, 9. de Consecrat. dist. 1. & c. cum olim. 14. §. Præterea. de Privileg. Utrum autem Episcopi consensus tacitus, si nempe sciens non contradicit, sufficiat, an verò expressus requiratur, dicitur infra num. 7. Interea notandum, consensum Episcopi requiri, etsi persona edificans à jurisdictione Episcopi sit exempta. Barbofa lib. 2. Jur. Eccles. univ. cap. 2. n. 15. arg. c. 4. de privileg. in 6. & patebit magis ex §. seq. Quòd si locus ipse sit exemptus, necessaria etiam est licentia Papæ, Barbofa lo. cit. arg. cit. c. 4. de Privileg. in 6.

5 Nominè autem Ecclesie hic non veniunt Oratoria privata; unde domi suæ hoc sibi edificare etiam absque consensu Episcopi quilibet potest, Pirhing h. t. n. 1. textu expresso can. Unicusque, 33. de Consecrat. dist. 1. ibi: Unicusque Fidelium in domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare, Missam autem ibidem celebrare non licet. Intellige sine licentia legitima, ut privilegio Apostolico juxta dicta superius Tit. XLI. de Celebration. Missæ.

6 II. Requiritur, ut, antequam edificetur Ecclesia, Episcopus ad locum futuri Edificii veniat, ibidem atrium designet, Crucem figat, & primum lapidem ponat. Barbofa lib. 2. Jur. Eccles. univ. cap. 2. n. 17. Engel h. t. n. 3. Pirhing eod. n. 3. Azorius p. 2. lib. 9. cap. 3. q. 4. textus, & Glossa in can. Nemo Ecclesiam, 9. de Consecrat. dist. 1. ibi: Nemo Ecclesiam edificet, antequam Episcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat publice, atrium designet &c. Concordat Novella 131. cap. 7. & Novell. 67. cap. 1. ibi: Sancimus, præ omnibus illud fieri, & nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis Domum incipere edificare, antequam Civitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco faciat, & Crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens. In quibus textibus licet de dispositione primi lapidis nulla fiat mentio, tamen Doctores

citati cum communi aliorum, & Glossa in can. 1. can. 1. q. 2. etiam de primo lapide præfatos textus interpretantur; id quod confirmat consuetudo optima Legum interpretis, c. Cum dilectus. 8. de Consecrat. L. test autem Episcopus etiam per alium Crucem figere, ac primum ponere lapidem; ut cum communi docet Barbofa lo. cit. Azorius lo. cit. q. 4. Engel h. t. n. 3. atque Glossa in cit. can. Nemo. 9. de Consecrat. Ecclesie, dist. 1. v. Veniat. Ratio est; quia potest quis per alium, quòd potest facere per se ipsum, c. 69. de R. J. in 6. præsertim cum præfati actus non pertineant ad potestatem Ordinis, sed jurisdictionis, quam alteri etiam non Episcopo delegare potest Episcopus, c. Aqua. 9. de Consecration. Ecclesie.

Cæterum ex hoc secundo requisito manifestè sequi videtur, quòd ad sanctam edificationem Ecclesie, vel initium ejusdem edificationis licitè faciendum non sufficiat tacitus consensus Episcopi ex eo desumptus, quòd sciens non contradicit, nec ratificatio postea subsequens; prout putant Barbofa lo. cit. Pirhing h. t. n. 2. Engel eod. num. 4. Azorius lo. cit. q. 6. sed requiritur expressus, hoc ipso, quòd juxta utriusque Juris dispositionem, & propriam confessionem ipsorum Adversariorum locis citatis, Ecclesia licitè edificari nequeat, nisi prius Episcopus requisitus, per se vel per alium, Crucem figat, & primum lapidem ponat: si enim tacitus consensus, vel subsequens ratificatio Episcopi sufficeret, necessarium non foret, ut ipse prius Crucem figeret, aut primum lapidem poneret: imò posset quis pro libitu incipere edificare Ecclesiam sub spe taciti consensus, vel subsequente ratificationis? quòd est absurdum, ut consideranti patet. Quapropter & Juri, & rationi conformius cum Abbate docetur, ad edificationem Ecclesie consensum expressum requiri. Ubi tamen fatendum, quòd si Episcopus consensum injustè negaret, edificare volens ad Superiorem, Archi-Episcopum nempe recurrere posset, ut vel ipse eum præfret, vel ad præfatum compellat Suffraganeum, ut bene advertit Barbofa lo. cit. num. 2. Azorius lo. cit. q. 8. & alii communiter.

III. Requiritur, ut ante edificationem sufficientis & congrua assignetur Dos, id est, sufficientes, & stabiles redditus pro luminaribus, paramentis, fabricâ, Sacerdotibus, Ministris, & aliis necessariis Ecclesie, textu expresso cit. can. 9. de Consecrat. dist. 1. ibi: Nemo Ecclesiam edificet, antequam præfinit, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia Custodum (id est, Sacerdotum, ac Ministrorum & c. Glossa ibid.) sufficientes, & sine donatione sic Domum edificet. Concordat cit. Novell. 67. cap. 2. ubi statuitur: Non aliter quempiam Ecclesiam ex novo edificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem Episcopum, & definit mensuram, quam deputat, & ad luminaria, & ad S. Ministerium, & ad incorrupte domus custodiam, & observantiam alimena: & si sufficientia habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sint, deputari, & ita domus edificetur &c. Et quidem antiquitus pro Dote cuiusvis Ecclesie ad minimum requirebatur unus Mansus. liber ab omni servitute, & onere temporalis, id est, tanta pars terræ, quæ sufficiat duobus bobus ad laborandum, textus & Glossa in c. 1. de Censù. Tamen hodie arbitrio Episcopi relinquunt, ut bene notat Engel h. t. n. 6. vide etiam dicta Tit. XL. de Consecrat. n. 5. ubi inter alia notavimus, quòd in computanda Dote Parochie noviter erigendæ possit quoque haberi respectus ad Decimas, Oblationes, & alia jura Rectori Ecclesie competentia. Cæterum ex hoc, quòd Episcopus prius debeat cognoscere, & arbitrari de sufficientia Dotis; rursus sequitur, quòd inconsulto Episcopo sub spe taciti consensus, vel subsequente ratificationis non possit edificari Ecclesia, consequenter tacitus consensus, seu subs-

subsequens ratificatio ad licitè edificandum non sufficiat, sed requiritur expressus consensus.

9 Porro, si Episcopus Dote insufficientem pro sufficienti judicans erraret, aut alias cum, vel sine consensu ipsius Ecclesie absque sufficienti Dote edificaretur, teneretur eam adhuc sufficienter dotare Edificator, vel hæredes ejus, arg. c. Cum sicut. 8. de Consecrat. & ibi: Glossa v. Consecrata. ad finem. Si verò hi ad dotandum impotentes forent, teneretur supplere Episcopus, si cum consensu ejusdem Ecclesie fuit edificata, sicut teneretur alere, quem sine Titulo ordinavit, Engel h. t. n. 6. & alii, arg. cit. c. Cum sicut. 8. de Consecrat. & ibi: Glossa v. Consecrata. intellige, si quid proprium habet; quia de bonis Ecclesie in simili casu dotare Ecclesiam non tenetur, ut bene ibidem addit Glossa, quia delictum persone in Ecclesia damnatum non est convertendum, can. Si Episcopum, 3. cau. 16. q. 6.

10 Tertia hæc conditio de constituenda Dote non requiritur in edificatione Ecclesie Regularium mendicantium, nec in edificatione Ecclesie Monasterii habentis sufficientes redditus; prout in simili cum Sylvestro, Azorio, & aliis diximus supra Tit. XL. de Consecration. n. 6.

11 IV. Regulariter requiritur, ut Ecclesia noviter edificanda non vergat in præjudicium alterius Ecclesie, præsertim Parochialis. Barbofa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 26. n. 1. Pirhing h. t. n. 1. Engel in Manuali Paroch. p. 2. cap. 1. n. 5. cum communi, arg. can. Ecclesie antiquitas, 43. & can. Quicumque, 44. cau. 16. q. 1. ibi: Omnino providendum est Episcopo, aut alie Ecclesie antiquiores propter novas suam justitiam ad decimam non perdant, sed semper ad antiquiores libere perloquatur, & c. 1. de Novi operis nuntiatione, ibi: Nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda. Hinc ante edificationem Ecclesie novæ citandi, & audiendi sunt circumjacentes Rectores Ecclesiarum, præsertim Parochialis, ad audiendum, an nullum obijcere habeant præjudicium, ut gravamen contra novam Ecclesiam, quòd si eis inauditis Ecclesia nova edificatur, postmodum si edificanti novum opus nuntiare, eaque nuntiatione efficere, ut ab edificio statim cessare, & post annuntiationem edificata, propriis expensis destruere teneatur Ad fecans claris Juribus. c. 1. & 2. de Novi operis nuntiatione, & ibi DD. communiter, atque Engel lo. cit. Præjudicium autem, quòd alteri Ecclesie inferri potest, plerumque est damnum ex coherentia edificiis, vel participatio sumptuum in constructione, aut consecratione: vel damnum sequens ex diminutione Decimarum, Oblationum, aut aliarum possessionum, vel jurium, ut post alios bene advertit Barbofa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 26. num. 1. item lib. 2. Juris Eccles. univ. cap. 2. n. 14.

12 Dicitur autem notanter Regulariter, quia dantur causæ, ob quas Ecclesia nova in præjudicium alterius etiam Parochialis Ecclesie edificari potest; præcipue si ob nimiam distantiam, incolæ loci ad priorem Ecclesiam sine magna difficultate, præsertim tempore hyemali, aut cum pluvie inundant, venire non possunt; hoc enim in casu novam Ecclesiam Parochialem edificari, vel jam extantem Ecclesiam pro Parochiali deputari per Episcopum etiam invidis Rectoribus antiquarum Ecclesiarum, ac in eorum præjudicium posse, & debere, expressè statuitur à Concilio Tridentino Sess. 21. de Reform. cap. 4. cujus textum lege supra Tit. XXXIX. de Paroch. n. 4. ac c. Ad audientiam, 3. h. t.

13 Queritur II. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut Episcopus novam Parochiam ritè erigat? Resp. Plures requiri conditiones: veluti Primò, Justa causa, quia sine hac manet Regula generalis, Reiffenschuel Jus Can. Tom. III.

quòd intra limites unius Parochie alia edificari non possit, ut bene observat Fagnanus in c. Ad audientiam, 3. h. t. n. 14. Talis autem justa causa præcipua est nimia distantia Ecclesie Parochialis, seu nimia amplitudo Parochie, ita ut Parochiani ad Ecclesiam Parochialem pro Sacramentis percipiendis, & Divinis audiendis venire sine magna difficultate aut incommoditate non queant, prout expressè Concilium Tridentinum loc. cit. & c. 3. h. t. ibique DD. omnes, inter quos Fagnanus lo. cit. n. 17. bene advertit, non esse necesse ad sufficientiam hujus casus, quòd jam aliquando Parochiani sine Sacramentis decesserint, sed sufficere, si talis casus revera sit periculum, ut censuit Sac. Congregatio apud eundem Fagnanum ex ea ratione; quia melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare. L. 1. C. Quando lic. sine Judic. item quia melius est intacta Jura servari, quàm post causam vulneratam remedium querere. L. fin. C. In quibus causis, in Integri, resit non est necess. Advertit tamen bene Abbas in cit. c. 3. h. t. quòd, cum Concilium Tridentinum magnam incommo- ditatem, & c. 3. h. t. magnam difficultatem requirit, aliquis aut modica difficultas non præbet sufficientem causam, Parochiam dividendi. Quæ autem sit magna incommoditas, aut difficultas, quæ etiam distantia, vel amplitudo sufficientes ad dividendum, relinquuntur arbitrio Episcopi, ut ex S. Congregationis Decreto referat Barbofa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 68. n. 2. Fagnanus lo. cit. n. 18. arg. c. de Causis, de Offic. Delegat. Similis causa etiam censetur, quando inter populum aliquas Villæ, & Parochialem Ecclesiam torrens, seu flumen intercedit, quòd pontem non habet, nec vado pertransiri potest; quæ est etiam causa sufficiens sine distantia loci, ut lo. cit. notant Fagnanus, Barbofa Allegat. 68. n. 1. arg. cit. Concil. Trident. & c. 3. h. t. undecunque enim populo proveniant magna difficultas percipiendi Sacramenta, & alia Divina, justa censetur causa, cum Concilium lo. cit. divisivè loquatur; ibi: Ob locorum distantiam, sine difficultate, consequenter utramque sufficere aptè insinuet, arg. c. Inter ceteras. Rescript.

Alia causa est, si Parochus cum suis Capellanis 14 habitat intra mœnia Civitatis portis clausæ, & populus saltem de nocte non habeat accessum ad eum pro percipiendis Viatico, aut Extremâ Unctione in casibus præsertim repentinis. Fagnanus & Barbofa lo. cit. eò quòd currat hic eadem Juris ratio, consequenter etiam eadem Juris dispositio. I. Non possunt. ff. de Legib.

Secundò requiritur, ut ante divisionem citetur, 15 & audiatur Parochus antiquus, Fagnanus lo. cit. & alii cum Glossa in can. Nulli. 2. dist. 99. §. Constitui; atque censuit S. Congregatio apud Fagnanum lo. cit. Licet enim possit Parochia dividi, etiam invito Rectore, seu Parocho antiquo cit. c. 3. h. t. & Concil. Trident. lo. cit. tamen citari & audiri debet, sicut & alii, quorum interest, arg. can. Felix. 50. & seq. cau. 16. q. 1. Ratio est; quia dantur certa media, per quæ, si Rectores volunt, divisionem Parochie, & erectionem novæ, ex causa alias futuram impedire possunt; si enim Rector Ecclesie, vel alii interesse habentes se offerant, quòd in distantia districta velint competentem sustentare Sacramentum Curatum, ad nutum Parochi amovibilem, ibique Ecclesia pro administrandis Divinis apta existat, vel construat, ita ut Parochiani quoad Divina satisfieri commode queat, divisio Parochie antiquæ, & erectio novæ omitti potest, ut ex Lapo docet Fagnanus lo. cit. n. 20. quam doctrinam probavit S. Congregatio apud eundem Fagnanum.

Tertio requiritur, ut Parocho novo certus di-

strictus assignetur juxta dicta Tit. XL. n. 6. Quarto, ut

VIII. editum 21. Julii 1625. ordine 45. inter Constitutiones hujus Pontificis, quæ per extensum hæc subungere placuit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Quoniam ad institutam Regularium locorum & personarum reformationem promovendam, & conservandam maxime pertinet, ut in quibusque Domibus & Monasteriis is tantum numerus Religiosorum, qui commode ibidem alii possit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibusque Civitatibus & locis, novæ domus & Monasteria, præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem Civitatibus & locis, aliarum domorum & Monasteriorum in eis existentium habitâ ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§. 1. Hæc igitur Nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro pastoralis munere opportune providere volentes Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac maturâ consideratione, de quæ Apostolice potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium super consultationibus & negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum, harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, quibusque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Provincialibus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita constituerit, in eisdem Civitatibus & locis novis hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

§. 2. Si verò ab eorum in hujusmodi causis sententiis, ad Nos & Apostolicam Sedem provocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quo usque à Nobis & Apostolica Sede in eodem causa pronuntiatum extiterit, irritum nihilominus & inane decernentes, quidquid fecus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die 23. Julii, Millesimo Sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri Anno 12.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam Rei memoriam.

§. 1. Cum aliis felic. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus quoscumque, præsertim Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subiectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causâ servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus & locis novis hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse, constituerit. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios electionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu à Sede dicta in ea causa pronuntiatum extiterit, ne aliis prout in Decreto hujusmodi plenius continetur.

§. 2. Verum per pie mem. Paulum Papam Quintum accepto, plerisque ex Ordinariis prædictis, favore, vel nimium expostionum importunitate ad novos Conventus seu Domos, præter, & contra tenorem

prædicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita elemosynarum, seu reddituum cujuscumque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, sustentari nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur: ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut conveni, conservari non valeat. Sac. Congregatio Illustriss. DD. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè & sufficienter expressis habens, Viva vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum, quantum opus sit, innovat, & in usum reducit.

§. 3. Volens, quod de cetero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa & specifica mentio habenda esset, in quacunque Civitate vel Oppido, seu quocunque alio loco, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutuum hujusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor milia passuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliis Ordinariis locorum constitit, Religiosis Monasterii, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis hujusmodi ereclis degentium ibi in numero duodecim commode, & congrue sustentari, ac ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituende erunt, nullique alii Regularis inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibent, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere & sustentare valeant.

§. 4. Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponitur, ea ad eandem Sac. Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censetur, appellacione hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque & inane, quidquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernentes quibuscumque in contrarium facien, non obstantibus.

Rome 17. Augusti 1622. &c.

Ant. Card. Saulius.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus nostris Ecclesiæ credidit Principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis, à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibusvis præsertim personarum sub Juavi Religionis juro, Altissimo

§. II. De Ædificatione, & Erectione Monasteriorum &c.

sine famulantiis paci, & quieti consilium, libibusque ac controversiis inter eos obviam iuris, revocat, & immutat, in hujus Pastoralis sollicitudinis, & providentiæ sua studium interponit, prout verum, & temporalibus qualitatibus debite pensatis, conspiciunt in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cùm itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ sue, sive facultates à nonnullis Roman. Pontif. Prædecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutuum Superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia loca Regularia quovis nomine nuncupata, servatâ dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini de reorum formâ, de sola Ordinarij licentia, seu etiam forsitan non servatâ formâ, & absque licentia hujusmodi, & contra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunitis precibus, seu etiam Motu proprio, vel aliâ obtente, & extorta fuerint: ita circa Nos, omnes, & quoscunque licentias ac facultates hujusmodi, Literarumque desuper tam sub plumbo, quàm in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, eorumque tenores etiam veriores, & Dat. præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatâ petitioni instantiam, sed ex certa scientia, ac maturâ deliberatione nostris, de quæ Apostolice potestatis plenitudine omnes, & quoscunque licentias & facultates hujusmodi, litterarumque desuper tam sub plumbo, quàm in eadem forma Brevis expeditas, omnique & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujusmodi, que suam nondum sortite sunt effectum, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque, & effectu prioris evacuamus.

§. 2. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutuum Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis pœnæ vocis activæ, & passivæ, nec non effectorum quoruncumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obiri nec non Excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præsertim revocatarum, & annullatarum sive alto quovis pretextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujusmodi nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini nec non Constitutionibus sel. record. Clementis VIII. que incipit: Quoniam ad institutam, dat. Romæ 1603. ac Decretorum de mandato Joannis Clementis, nec non sim. mem. Gregorii XV. Roman. Pontific. Prædecessorum desuper eorum forma recipere, erigere, fundare, vel aliâ quomodolibet institere, seu incipere finire, & absolvere audeant, seu præsumant.

§. 3. Decernentes præsentibus literis etiam ex eo, quod causis, propter quas ille emanarunt, expressè, vindicatas, & justificatas, aut quicunque in præmissis interesse habentes, seu hinc preterea, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliâ ex quocunque capite, pretextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vicio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, & impugnari, redargui, infringi, retrahari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos Juris reduci: aut contra eas quovis gratiæ, vel justitiæ

remedium impetrari, seu concedi nullatenus possit, sed eos, ac omnia & singula in eis contenta semper, & perpetuo valida, & firma, & effectiva esse, & fore, subque plenariis, & integris effectibus fortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sique & non aliter, per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolice Auditorios & S. R. E. Cardines, etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate surgent, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quo circa Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archi-Episcopis, Episc. & aliis locorum Ordinariis per præsentibus committimus, & mandamus, quantum ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, præsentibus literis, & in eis contenta quocumque solemniter publican, si eam illas, & illa ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, contraditores quoslibet & rebelles per cen. & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellacione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstant præmissis, ac regula nostra de jure quæstio non tollent, & v. ne. Bonifacii Pape VIII. similiter prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quoruncumque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutuum regularium, etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgitiis, etiam Mare magnum, vel alia quomodolibet nuncupatis & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque ten. & firmis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis ac irritatis, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & conscriptione, ac aliis quomodolibet in contrarium præsentium quomodolibet concessis, confirmatis & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis talia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium ten. præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, & illis aliâ in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quod præsentibus in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est affixe, omnes quos ille concernunt, ita ardent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

§. 7. Quodque earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prioris fides adhibetur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorum sub annulo Piscatoris, die 28. Augusti, MDCC. XXIV. Pontificatus nostri Anno secundo.

Ex quibus Decretis, sicut etiam ex Jure communi, ac Concilio Tridentino infra allegando colligitur.

giture, sequentia necessaria esse, & observari debere in Erecciónone novi Monasterii.

30 I. Necessarius est ante omnia consensus Principis Territorialis. Ita contra Lezanam v. Monasteria. n. 29. Barbosa lib. 2. Juris Eccles. univ. c. 2. n. 2. & 3. Hiacynthum Donatum lo. cit. q. 8. bene docet Marchant in notabilibus Resolutionibus. varior. Casuum. Bruno Neuffer Disp. 173. q. 9. Ratio est; quia in Erecciónone novorum Monasteriorum semper interveniunt etiam quedam temporalia & politica, v. g. de fundo, de medijs, quibus sustentate se velint novi Religiosi; an non novum Monasterium in subditorum, vel Principis vergat gravamen, vel præjudicium &c. in quibus haud dubie loquendi, concedendi, judicandi, aut denegandi potestatem habet Princeps territorialis, juxta illud Math. 22. Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Confirmatur praxi, ac consuetudine ubique vigente, quæ est optima Legum interpret. c. 8. de Consuetud. & L. 37. ff. de Legib. quæ constat, nullibi Monasteria ædificari posse absque Principis Territorialis consensu; imò pro hoc semper magis laborandum esse, quam pro consensu Rmi. Ordinarii.

21 II. Requiritur licentia Episcopi, in cujus Diocesi Monasterii Ereccióno intenditur. Ita certa, & unanimes ob clara Jura, can. Quisdam Monachorum. 10. cau. 18. q. 2. ibi: Placuit neminem aut ædificare, aut construere Monasteria sine scientia ipsius Civitatis Episcopi. Item can. de Monachis, ead. caus. & q. juncto Concilio Trident. Sess. 25. c. 3. de Regular. ubi r. c. p. ur. ne de cætero Monasteria erigantur, sine Episcopi, in cujus Diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Concordat etiam Jus Civile Novell. 67. cap. Sancimus: item novissima Decreta supra n. 29. allegata: in quibus etiam certæ conditiones præscribuntur ad hoc, ut consensus Episcopi legitimè fiat, quas conditiones inter necessarios requisita secundum ordinem hæc recensentur: quapropter,

32 III. Requiritur, ut antequam Episcopus det consensum, alios Religiosos in illo loco, ubi novum Monasterium intenditur, sicut & in vicinia per quatuor milia passuum habitantes, ac alios interesse habentes citet, eisque intimet intentionem & petitionem ædificare volentium, & spatium, quo, si volunt, gravamina sua proponere & probare valeant. Unde ut conditioni hæc satisfaciatur Episcopi, hodie solent Decretum citationis ad Valvas Ecclesiæ illius loci, in quo Monasterium intenditur, affigere, & per illud omnes quoscunque interesse habentes generaliter citare, ac mandare, ut, si quid opponendum habent, intra tempus in Decreto determinatum proponant; quo elapso non amplius forent audiendi.

33 Controvertunt hic aliqui, an inter citandos & audiendos etiam sint Parochi locorum? Passerinus liquidem in c. Cum ex eo. de Excess. Prælat. in 6. Paq. q. Moral. Jurid. 512. & alii putant, eos nec citandos, nec audiendos esse. Verum contraria opinio, videlicet, quòd & Parochi ante consensum audiendi sint, probabilis ac Juri conformis videtur; prout sæpe decidit Rota teste ipso Passerino, & tenet Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 26. n. 5. Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 1. q. 15. citans Guidonem Papam Decis. 370. Novar. in Praxi novi Juris Pontificii Concl. 1. alius. 10. n. 1. Idque probatur ex Bulla Clementis VIII. n. 29. allegatâ, ubi expressè prohibetur, ne Episcopus contentum præbeat, nisi prius vocatis, & auditis Religiosis præ-existentibus in tali loco, & NB. alijs interesse habentibus; atqui Parochi in hujusmodi causa etiam interesse habent; cum contingere possit, quòd ex nova Monasterii constructione eorum oblationes, aliave jura Parochialis ita diminuerentur, ut congruum

sustentationem non amplius habent. Confirmatur ex c. 1. de Novi operis nuntia. ubi universaliter prohibetur, ne Ecclesiæ aliqua (multo magis ne Monasterium) in alterius præjudicium ædificetur, & concedatur, quòd quovis, præsertim R.ctor Ecclesiæ Baptismalis, vel Parochialis præjudicium patiens possit novum opus initiare; ergo.

IV. Requiritur, ut Episcopus ante consensum bene attendat, & examinet, an novi Religiosi saltem duodecim numero ex redditibus, aut consuetis elemosynis sine aliorum præjudicio commode sustentari valeant, & ibidem manere velint; si enim ex propria scientia, aut oppositione interesse habentium, aut ipsa confessione ædificare volentium perfectum haberet, ad minimum duodecim Religiosos novos, alicubi vivere non velle, vel sine aliorum Religiosorum, aut alijs interesse habentium detrimento commode sustentari non posse, consensum dare nullatenus possit, ita hodie unanimes ob claram dispositionem Bullæ Gregorii XV. supra n. 29. allegatâ, de quò vide etiam infra n. 36.

V. Requiritur, ut si Religiosi prius in loco vel vicinia existentes, vel etiam alii interesse habentes, à sententia aut consensu Episcopi legitimè appellent ad Sedem Apostolicam, à die appellationis interpositæ totum negotium suspensum relinquant Episcopus, ita ut intereâ Religiosi ædificare volentes penitus nil innovare, multo minus ædificium incipere, aut materialia convehere vel possessionem capere valeant, nec Episcopus permittere, aut ullo modo se amplius immiscere possit, donec sententia à Curia Romana, ad quam mediante appellatione negotium devolvitur, feratur, rursus omnes ob clarum textum Bullæ citatæ Gregorii XV. §. In. Dicitur autem legitimè, uti & notanter id dicit in suo Decreto Gregorius XV. quia si illegitimè, id est, non in debita Juri forma appellent alii Religiosi, vel interesse habentes, possent Religiosi ædificare volentes, consensum Episcopi consecuti, non obstantè hujusmodi illegitimâ, aut frivola, seu frustratoriâ appellatione ædificium liberè, licet, ac validè incipere, argumento à sensu contrario, ac etiam desumpto ex dictis Lib. II. Tit. XXVIII. de Appellatione.

Queritur II. An ad ædificanda Monasteria etiam consensus Summi Pontificis requiratur? Resp. I. Loquendo de Jure communi ante Concilium Tridentinum, consensus Summi Pontificis ad erigenda Monasteria Mendicantium necessarius erat. Ita clarè statutum habetur c. un. de Excess. Prælat. in 6. Dixi Mendicantium; quia ad erigenda alia Monasteria non Mendicantium, nullibi etiam in Jure antiquo reperitur consensus necessarius, quidquid in contrario dicant Riccius, Zerola v. Monasterium, Hyacinth. Donatus de ædificandis Monast. Tom. 1. n. 1. q. 13.

Resp. II. In Italia, & Insulis adjacentibus, etiam post Concilium Tridentinum ad cususvis Monasterii ædificationem necessarius est specialis consensus Summi Pontificis. Communis ac certa, ob expressam, & novissimam Constitutionem Innocentii X. Instauranda editam pro Italia, & adjacentibus Insulis anno 1652.

Resp. III. Extra Italiam, & Insulas adjacentes post Concilium Tridentinum nullus requiritur consensus Papæ; sed sufficit solus consensus Episcopi. Ita hodie communis, signatur Hyacinth. Donatus lo. cit. q. 14. Farinacius Tom. 2. p. 2. Decis. 745. Passerinus in c. un. de Excess. Prælat. in 6. n. 11. rem egregie probans, Fagnanus in c. Non amplius num. 66. de Institut. Neuffer Disp. 173. n. 24. Sorb. v. ædificare. in Annot. Navar. Bordonus, & alii, contra Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 26. n. 4. Fundamentum responsionis est; quia hoc ipso, quòd

Con-

Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regul. cap. 3. solam Episcopi consensum ad erigenda Monasteria requirit; implicitè revocat Constitutionem Bonificii VIII. c. un. de Excess. Prælat. Confirmatur I. Ex novis tribus Decretis supra n. 29. citatis, in quibus penitus nulla facta mentione de consensu Pontificis, solus requiritur consensus Episcopi. Nec obstat, quòd in Decreto Urbani VIII. dicatur, Erecciónes novorum Monasteriorum fieri debere servatis SS. Canonibus (vis quorum requiritur consensus Papæ c. un. de Excess. Prælat. in 6.) Concilio Tridentino, ac Decretis. Resp. enim, etiam Canones observari debere in eo, in quo correcti non sunt à Concilio Trident. quæ responsio etiam ex eo tenenda videtur, quia per eam fit regressus ad Jus magis antiquum à Bonificio VIII. in cit. c. un. h. t. in 6. revocatum, vi cuius olim solus consensus Ordinarii sufficiebat ad ædificanda Monasteria nova, can. de Monachis. 12. & seq. cau. 18. q. 2. Tandem responsionem magis adhuc deduct Passerinus lo. cit. n. 14. & 15. Confirmatur II. Ex Bulla Innocentii X. Instauranda, ubi novam Constitutionem faciens decernit, ut in Italia & Insulis adjacentibus nova Monasteria non erigantur absque Sedis Apostolicæ expressa licentia; ergo à sensu contrario extra Italianam dicta licentia non requiritur.

39 Confirmatur III. Ex Declaratione S. Congregationis, quam pro Conclusionem num. præced. posita lo. cit. refert Fagnanus, ubi etiam refert, se Secretario S. Congregationem multis approbasse Erecciónes Monasteriorum de solo consensu Episcopi absque licentia Papæ factas. Et certè id ipsum fieri, & postea prædicari videmus in Germania. Illud etiam ex Passerino, ac Fagnano citatis notandum, quòd ibi, ubi ad erigendum Monasterium requiritur, vel acquiritur consensus Pontificis, consensus Ordinarii necessarius amplius non fit, quia hic in illo emittente continetur; & ubi requiritur, & habetur consensus Ordinarii, necessarius non fit consensus Papæ, & econtrâ; prout etiam sæpe declaravit S. Congregatio teste Fagnano lo. cit. Pro confirmatio- ne ulteriori facit etiam decisio Rotæ apud Farinacium lo. cit. quæ est sequentis tenoris.

Fuit resolutum, sententias de partibus esse confirmandas, cum approbet licentiam datam ab Ordinario Casaravogustano erigendi novum Collegium Mendicantium Discalceatorum, inibi Missas celebrandi, & Sanctissime Eucharistiæ Sacramentum reinendi; quam quidem licentiam ille concedere potuit: nam licet pro erigendo novo Regularium Collegio, seu Monasterio, olim requireretur specialis Sedis Apostolicæ licentia, cap. 1. de Excess. Prælat. in 6. & Clement. Cupientes de penis: hodie tamen hujusmodi facultas fuit Ordinariis attributa per Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regular. cap. 3. in finem, renovatur per particularem Constitutionem felicis recordationis Clementis VIII. in qua præscribitur forma Ordinarii circa hujusmodi licentias concedendas, quæ fuit ad ad unguem observata per Ordinarium Casaravogustanum, cum citaverit omnes Conventus Mendicantium, & sibi confiterit, nullum eis posse ex nova Collegii erecciónone præjudicium inferri, ex quo redditis illi relicti per Ugonem de Vicis in pecunia numerata, & frumento, sufficium ad congruam sustentationem Collegialium, qui propter eâ non cogentur mendicare, & consequenter non dimittunt elemosynas aliorum Mendicantium, nec aliquod eis damnum inferent.

Quibus non obstat, pro erecciónone hujusmodi Collegii, concurrere requisita in c. ad Audientiam de Eccles. Edificat. 1. & in Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 4. de Reform. Quia prædicta Jura loquuntur de erecciónone nove Parochialis, non autem Collegii, seu alterius Ecclesiæ non Parochialis.

Minus obstat, quòd ereccióno Collegio, Christi Fideles poterint in illius Ecclesia eligere sepulturam, facere celebrari Missas, & Anniversaria, quod redundat in præjudicium Ecclesiæ del Pillar, in qua prædicta huc usque facta fuerunt; quia negatur hujusmodi præjudicium, cum finis in facultatis, ex quo potest quis ad libitum ubilibet pia opera facere, & sibi sepulturam eligere, c. 1. de Sepulturis, & in omnino eventum, tale præjudicium non esset considerabile, ad effectum impediendi novi Collegii erecciónem, juxta doctrinam Bartoli in l. Quomodo &c.

Ultra quòd prædicta Constitutio Clementis consideravit tantummodò præjudicium, quòd potest inferri Ecclesiis Fratrum Mendicantium, ne propter elemosynas erogandas in novum Collegium, detrimentum patiantur, non autem alijs Ecclesijs.

Queritur III. An Episcopus inconsulto Capitulo solus dare possit licentiam ædificandi Monasterium? Resp. Affirmativè. Bruno Neuffer lo. cit. & alii. Ratio est; quia nec Canones, nec Concilium Tridentinum, nec Decreta nova ullam faciunt mentionem de Capitulo, sed solum exigunt Episcopi consensum. Confirmatur praxi, & consuetudo, quæ est optima Legum interpret. c. 8. de Consuetud. ubique recepta, ut prohi immeritò & absque omni fundamento contrarium asseratur: nisi forsân Capitulum interesse haberet, vel ei capitationis legitimè factæ consensus ejusdem haberi deberet, tunc enim fecisset foret: quamvis etiam interesse habens non attenditur, si absque causa rationabili contradiceret.

Queritur IV. An si alii Religiosi, Parochus, vel incolæ contradicant Ereccióni Monasterii, valeat nihilominus consensus Episcopi? Resp. Affirmativè, si absque causa rationabili contradicant, vel gravamina, seu præjudicia gravia, vel oppositiones, quas faciunt, probare non possunt. Passerinus lo. cit. n. 51. Hyacinth. Donatus p. 1. tr. 1. q. 27. Navar. in Praxi novi Juris Pontificii Concl. 2. alius 11. n. 4. Ratio est; quia cessante causa finali, cessat Legis dispositio, c. Cum cessant. 60. de Appellat. sed causa finalis requirendi consensum aliorum interesse habentium est, ne ulli præjudicium generetur; ergo ubi præjudicium abest, causa Legis, consequenter Lex ipsa cessat. Nec obstat, quòd in Decretis tribus novissimis num. 29. allegatis requiritur consensus aliorum Religiosorum, ac interesse habentium. Nam contra est, quòd Decreta illa intelligenda sunt in casu, quo ex nova Erecciónone antiquis verum ac notabile præjudicium & gravamen emergeret: aliàs certè solo nudo dissentio impedire possent novas Erecciónes, absque eo, quòd gravamen aut præjudicium suum probarent, quòd tamen necessariò fieri, praxi ubique demonstrat, ac insuper illud docet, quòd, si oppositiones resistentium, per ædificare volentes debite solvantur & refutentur, dissentus eorum minime attendatur. Hinc Pius V. in Bulla Esi Mendicantium: quæ est in Bullario Cherubini 41. Constitutio dicti Pontificis, §. 23. mandat, ut causæ contra Erecciónem novi Monasterii propositæ, Superioribus regularibus ædificare volentibus pro defensione, ac responsione sua manifestentur. Prout etiam Marchant. lo. cit. bene observat, simulque ex eadem Bulla addit, Episcopus omnino teneri dare consensum, si legitimum negandi causa, vel præjudicium notabile aliorum non subsistat: ait namque Bulla lo. cit. Licentia pro construendis Domibus Regularibus, quæ cap. 3. Sess. 25. nisi de Ordinarii licentia consensu prohibentur, gratis omnino dari, & non nisi legitima subsistente causâ Superioribus explicanda, illas recusari posse.

Porro notat insuper Passerinus lo. cit. Navar. lo. cit. Franch. p. 1. n. 419. & alii posse Episcopum dare licentiam ædificandi Monasterium, cum præ-existent-